



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Flavia Domitlla V. & M. 7. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

Nostram memoriam repositorium Deipara faciamus. Hoc vero quomodo erit? Ea fuit Virgo, & armatrix Virginis: Si ergo cum corpore mente quoque castam habuerimus, inhabitantem ejus gratiam possidebimus. S. Io. Damasc. serm. de Ass. B. M. V.

S. FLAVIA DOMITILLA V. & M.  
7. Maij.

**A**dornabat in centesimum CHRISTI annum FLAVIA Aurelio sponsa nuptias, & ad nuptias sese imprimis: cum Nereus & Archilleus, qui à cubiculis illi erant, solicitam moverunt, ut eam in comendo curam cælo impenderet, ita fore, ut sponsum CHRISTVM nanciseretur. Audiit illa tam salubria monentes, repudiatoque mortali sposo, immortali nubentem Clemens Pont. Max. ex more Christiano, flammœ involvit. Consilium hoc optimum etiam ipsis auctoribus fuit. Nam duo egregii illi Paranyphi mox Martyres coronam primi nuptiale abstulerunt; ac FLAVIA in exilium missa, dura atque aspera multa perpessa est. Post cum Theodoram atque Euphrosynam, quæ ad Aurelii amores iterum illam abstrahere nitebantur, in suam etiam sententiam pertraxisset, & ipse Aurelius dum chores ductaret, subito facta corrueens, mortuales fecisset, quas nuptiales putaverat; iratardens hujus germanus Luxerius, edibus, in quibus DOMITILLA cum geminis, quas memoravimus, Virginibus agebat, ignem subjecit. Sed nempe tati sanctis nuptiis ille factadas præluxit; sponsarum vero postridie corpora, ut à Cupidinis, sic à tyranni etiam ignibus integra fuerunt, & à tam sanctis flaminarum spoliis hodie Eluacum Germaniæ civitas splendet. Ex Surio.

Despiciens

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiam si rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat? S. Greg. l. 3. Dial.

## S. AMATVS CONF. 8. Maij

**A**MATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenerâ ætate amissis, multa tulit, fecitque puer & adolescentis, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, feminâ classicum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri AMATI nupta, filiam, quam priore conjugio tulerat, cum AMATO sponsam obtruderet, repulsam ultimis odiis ultra est, quibus etiam fratres collisi sunt, exquo tamen AMATI incommodo, deputantis in lucro, si virtutis causâ nomen suum amitteret, fieretque exosus. Numinis tamen benevolentiam omnibus officiis captavit, in pauperes tam prodigus, nihil ut sibi reliqueret, sed locata promiscue operâ, famem sustentaret: in emaciato nihilominus corpore flagro ferreo non modò memoriam sed imaginem Christi patientis renovabat; hoc quoque illius affecitus, ut pro maleficio habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi cælum ad se rapuit, tam familiariiter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animum etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo AMATI famam frater feedo ermine fugillavit, stupri commercium ei cum Clarâ sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed ambulantem in jus sol absolvit abollam eius intercipiens, suisque radiis sustentans. Isdem illustrata AMATI est sanctitas, sed ille proditorem

suum